



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa XVI. In Funere Julii Gori Panellini Patritii Senensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

PROSA DECIMASEXTA

*In Funere Julii Gori Panellini
Patritii Senensis .*

ORATIO.



Mystarum sacer , & ve-
nerabilis mæror ad a-
ram , lugubris sacrifi-
cii ritus , funebris cæ-
notaphii pompa , tem-
plum atratis undique
insignibus luctuosum
non tibi sese exhibet hodierna luce
studio tuam excitandi mæstitudinem ,
sed sponte sua excitatam prosequendi ,
Sena nobile magnorum Heroum do-
micilium , & sepulchrum . Hæc cele-
bramus justa , ut nostrum deside-
rium leniamus , & summum , si quâ
possimus , collaudemus meritum Illu-
strissimi viri , carissimi capitis Julii Go-
ri Panellini , quem nuper vobis Cives ,
nobisque præripuit mors & immatu-
ra propemodum , & penitus improvi-
sa . O properantis fati impetum , ictum-

H 6

que

que repentinum, qui cum unum abstulerit, omnes consternavit superstites. Verum ex omnibus, ad quos iste pertinet dolor, me sollicitari maxime intelligo, Auditores ornatissimi, quippe qui & illud doleo, quod cæteri; & hoc ipsum præterea, quod mihi coram cæteris publica oratione dolendum est. Splendidioris longè facultatis erat, & felicioris eloquii vivida laudum commemoratione tantum è sepulchro virum reducere, rursusque suis spirantem honoribus ante ora lacrymantia civium præsentare. Post illud nempe quod supremum est omnium fatum, te Juli manebat & hoc fortasse funestius, ut quas deterere laudes tuas vel ipsa mors rerum omnium populatrix non potest, hodierna die ingenii mei exilitas deterat. Is tamen qualiscumque dolor suum non desperat lenimentum; gratus enim alterius erga se officii animus non tam posse debet multum, quàm velle, ut faciat sibi satis, & alteri. Illud omni majus medicina vulnus erit, tanti jactura viri; illud una sedare mors poterit, quæ infligit; aut mihi illud erit sentiendum vulnus,

aut

Prosa Decimasexta. 181

ab-
sti-
iste
mè
ppe
hoc
cæ-
est.
&
om-
vi-
an-
tia
ape
m,
ne-
vel
rix
nei
m-
en-
ffi-
ul-
is,
ina
lud
it:
as,

aut nihil sentiendum, soluto ab ærum-
na corporis animo. Heu luctus heu la-
crymæ. In mea igitur tempora, dum
hoc felicissimum haurio cælum, tan-
tum incidit infortunium? Ad hocne
mihi tantum nosse virum datum est,
ut protinus nossem, quantum mors im-
portuna rapuerit? Senti, senti equidem,
magnum me quid amisisse potiùs quàm
habuisse. Jam verò irritis querelis par-
cendum: funeris apparatus, imago
mortis plurima, loci facies universi,
ratio denique ipsa facultatem nostram
quantumvis languidam, & intermor-
tuam, quantumvis verecundam, &
sui consciam in emortui laudationem
Julii cohortantur: par est, ut è cujus be-
neficientia viri nostra identidem lingua
(quod unum potest) balbutit in exe-
driis, hoc loci vestigio, & temporis
recensendis ejusdem extincti virtutibus
allaboret. Rem itaque tanta hac co-
hortante, & compellente æquitate ag-
gredior; si minus valuero, quod volui,
fat erit voluisse, quod debui. Vos inte-
rim perbenignè accipite Auditores
quod exhibere contendam quantu-
lumcumque doloris nostri solatium.

Que

Quæ insignes animi dotes, quæ virtutes intra unius septa cubiculi, atque inter grabati unius angustias, & latere diù potuerunt, & in majus semper proficere, decretum in præsentia mihi est, eas orationis meæ circuitu velut palam educere, vobisque omnibus ad mecum unà animadvertendum, atque unà mecum admirandum exponere.

Hominum de virtute sensus vitiosi plerùmque sunt, & à veritate immaniter discrepantes; ita quidem ut adversus virtutem ipsam non voluntatem modò, sed, quod vix credibile videatur, intelligentiam quoque abnormem, absonam, ac depravatam geramus. Quid? nonne mendaces ac præposteras de virtute opiniones comminiscuntur, qui eam erectam nimis, & arduam, & uni tantùm sterilique stupori propositam, cæterùm indignantem teneri se mortalium nisu, passim, & vulgo declamitant? Sic defidiæ nostræ, sic naturæ declivi, jacentique libenter in infimis argutuli homines infelix patrocinium concinnamus, & dum fallacem opinantis animi errorem ejusdem oscitantis tutelam facimus,

mus,

tu. in. ere per hi ut ad ne si a. l. i. n. z. . . .
mus, vitium vitio per ingeniosam ne-
quitiam prætendimus. Quin imò, quæ
nostrarum perversitas opinionum est,
in ipsa virtute vitium fingimus; eam
enim ne sequi, & apprehendere ipsi
nolle videamur, nolle ipsam appre-
hendi, ac teneri exoptulamur, &
adjunctis propemodum conviciis repre-
hendimus. Est sanè sua virtuti difficul-
tas, est asperitas, est labor. Palmæ vi-
ctrices virescunt in pulvere, nec alium
quàm sudoris, & cruoris humorem
sitiunt: gemmas, & uniones merentur
naufragia; auro tanquam Gigantæi
custodes incubant montes, & ut se-
pultum eruas metallum, sepelienda est
hominum vita. Cuilibet pretio arduum
quoddam natura præstruxit vallum,
an ut industriam acuat nostram? an ut
arceat avaritiam? Virtus ergò, quæ non
auro, non gemmis, non unionibus
pretiosior, at ipsum pretium ipsamet
est; & ipsa scilicèt sibi austeritates præ-
textit, non quidem ne tu illam assequa-
ris sed ut assequaris cum laude, nec ut
adeunti illa tibi desperationem inji-
ciat, sed ut gloriam exaugeat attingenti.

Quamquam si rem ad Christianæ
sa-

sapientiæ momentum expendimus, ejus
arduitates virtutis, quæ apud nos una du-
citur plurimi, quæque adeo vera ducitur
virtus, quàm tenues sunt, quàm pusillæ,
favoris divini suppetiis emollitæ, jam-
que pusillis tantum animis non pusillæ.
Gratiam habeamus maximam oportet
summæ Divinitati, quæ gratiosos sibi
mortales, hoc est, insignes virtute, &
ingentes heroes quàm facilimo fieri
negotio voluit. Velle Christianæ virtu-
tis decus, tenere est: cæcutiunt oculi,
torpent manus; certos explicare gres-
sus infirmi pedes non valent; languet
pectus; caligat ingenium; corpuscu-
lum denique totum imbecillitate vi-
ctum sua succumbit, & cadit. Nihilot-
secius apud Cælites, apud Cælitum
Regem in magnum, in egregium,
in singularissimum virum velis modò,
evasisti. Ad Gyaræ scopulos, ad horri-
dam Seriphum, ad silentem littorum
vastitatem te furor tempestatis ejecit:
non ea sunt impervia virtuti loca, mo-
dò tu sociam petas. Luci, ac diei sub-
tractum, & squalore carceris cooper-
tum ipse te, qui omnia lustrat, sol ne-
scit: at non ipsa nesciet virtus, tu mo-
dò

dò virtutem deposcas; adest protinùs tecum captiva virtus, seu veriùs ut dicam, tu protinùs ades cùm virtute ipsa solutus. Affixit te lectulo morbus; si accersire virtutem placet; protinùs obviam ad te jacentem virtus acclinat sese, & dum se implet tota jacentem te, secum ipsa te erigit, ut vel dum maximè jaces, erectissimus tamen super turbulentissima quæque humanarum vicissitudinum evalescas.

Ne extrarias imagines, ac nostris temporibus, locisque distantas in rem hanc evocet oratio nostra; ad destinatum quàm citissimè veniamus: Illustrissimum, & fastorum perennitate dignissimum Julium Gorum Panellinum dicamne recolite? at monitum hoc ipse memoriæ, ac benevolentia vestrae index luctus supervacaneum respuit. Num intuemini dicam? At ne præsens ad hanc diem, & oculis usurpandum nostris tantum illud Christianæ virtutis, & nobilitatis exemplar præbeatur, obstitit lethi festinantis invidia. Quod igitur unum licet, hoc dicam: Julius Civis vester præclarissimus, noster animo, & amore parens
be.

benignissimus, cui jam nostra, si qua est, dicendi peritia lacrymoso parentat in stylo, luculentissimo cunctis documento probatum, testatumque reliquit, quàm expeditus ad virtutem sit hominum quisque, dum velit; quantum vitæ, morumque honestatem, quot veri honoris monumenta, qualem coram Deo promeritorum cumulum, cumulique coronam qualem comparare sibi quis possit vel sub uno femivivus fornice, ~~liberum cæli prospectum vocante~~, vel inter mille morborum incommoda humanarum vinculo calamitatum captivus in lectulo. Voluntas, quæ una sufficit ad Christianæ rationem virtutis, & ad gloriam heroicæ probitatis, volucris est inter vincula, in morbis valet; explicita est in angusto, excellit in humili, elucet in obscuro; quibus premitur difficultatibus, iisdem sibi gradum opportunior facit, aperitque tramitem ad superna. Velit ægrotus quod patitur, si nihil potest, velit ipsum non posse; proh quantum imbecillus pollet, quantum agit in otio, quantum progreditur in quiete!

Et

Et quidem quod ad Julium attinet ,
vos domestica laquearia testor, vos for-
nices, vos cubiculi parietes, qui insi-
gnem virum contumacis morbi retina-
culis impeditum diu vestros intra limi-
tes tenuistis. Vos ille habuit pro locu-
pletissimæ domus affluentia, vos pro
genialibus villarum deliciis, pro consi-
tis viridariorum illecebris, pro æstivis
nemorum opacitatibus, & frigoribus:
vos pro foro, vos pro Civium frequen-
tia, vos pro Urbe. Quantas ille virtu-
tes apud vos sub ægritudinis magiste-
rio saluberrima velut in gymnade edi-
dicit pariter, & exercuit, Deo amantissi-
mè feriente, atque erudiante per multi-
plices dolorum percussiones! Quantum
apud nos evangelicæ fortitudinis edidit
theatro nimirum cælo, spectantibusque
Cælicolis. O magnanimam illam vo-
cem, qua toties & parietes, & fornices
sonuistis; divinam penè vocem, in qua
id humani tantum dignoscimus, quòd
patientis vox erat! Videte Auditores
magni pectoris argumentum, & frugi-
feræ virtutis quasi erumpentem, ver-
nantemque in ore suavissimum florem:
summe rerum Moderator, & Opifex (id
cre-

crebrò succlamabat pius æger, & pa-
 tiens) en me tibi ineptum planè fa-
 mulum, & inertem, cui nempe ma-
 nus, pedesque ad sensum dumtaxat
 doloris vivunt: quod si manibus, pe-
 dibusque meis pænale hoc nectis impe-
 dimentum Pater, ac Domine, donec
 mortale ævum agitavero; en me ad
 constitutas Patris, ac Domini mei ius-
 su pænas qualescumque pro meis crimi-
 nibus subeundas filium, ac famulum
 paratissimum, æternis obsequor vene-
 rabundus arbitriis tuis. Sint in orbe ter-
 rarum florentes, sint felices, sint salu-
 bri corpore, sint athletico robore con-
 globati quibuscumque concessum è
 cælo est: mihi cælum multò serenius
 ridet, dum nubilo calamitatum invol-
 vor. Obruar profunda adversitatum,
 eluvione, mitis erit dextera, quæ ad-
 versitatibus tundit me, ut emendet;
 inundat me, ut emaculet; mergit, ut
 emergam, atque in portu æternæ tran-
 quillitatis æternus vivam. Exuberent
 bona, quibus fruendum esset, frui
 posse non detur; hoc quoque si tibi Pa-
 ter, ac Domine libeat, collibitum &
 mihi est; hoc & me deditissimum tibi
 fi.

Prosa Decimasexta. 189

filium, ac famulum apprimè juvat. At ipsæ in deteriorem inopiam divitiæ cedent; ex ipsa proveniet felicitate infelicitas major, dum circumfluentem intuebor felicitatem meam miseræ, atque ægrimoniam quaquaversum obstrictus; hoc tamen supernæ providentiæ consilium, hoc placitum, quo fiet, ut ab usura infimæ hujus felicitatis abstinere; in spem, atque auspiciam altioris illius futuræ, & nunquam defuturæ felicitatis accipiam. Si ad hoc tantum transfusa in me copia divitiarum est, ut mox inveniret morborum amaricies quam corrumpere adventu suo dulcedinem, non modò nihil indignor, nec lamentor, sed grates ago Divino Numini immortales. Fuerim jubente Deo inter opes pauperrimus; fuerim inter prospera calamitosus: libentissimè ingemiscam (podagræ morfu injustas lacrymas exprimente) inter ridentis fortunæ jucunditates, & blanditias. Ita videlicet Divini Numinis dono illud mihi ultrò, atque obviam occurrisse putabo intra fines civitatis, ac domus, quod sanctissimi solitudinum Incolæ in sylvarum, & speluncarum
sua.

suarum recessibus venabantur.

Testem magnanimæ mentis loquelam audistis. Jam leve nimis videbitur sonum referre verborum, cum narranti mihi, rerum pondera maximarum, acervatim se ingerant. Age; prodeat huc diuturnioris patientiæ conflictus cum morborum agmine truculento. Ecce malorum aciem à suprema Dei bonitate instructam, atque armatam ad constantissimi triumphalem palæstram viri; ecce, inquam, labefactionem capitis, incendia febrium, nodosam chiragræ, podagræque captivitatem, adhærescentē ischiadis rabiem, apoplexiam ex inopinato invadentem, quodque omnium atrocissimum est, totam penitus membrorum compagem unicosen sui doloris idoneam, & cui unum esse solatium possit interitus. Exinde animos advertamus ad patientiæ triumpatricis miraculum. Acerrima illa manuum, pedumque cruciamenta siquid aliquando remiserint, multiplici cum sænore dolorum redeunt; itaque ægroto ægre reptanti invident exile cubiculi spatium, & difficillimis labantem vestigiis rursus ad tædia plurimarum

que-
itur
anti
m-
leat
tus
to.
Dei
am
læ-
em
am
em,
le-
od-
am
ini-
um
nde
iū-
illa
fi-
lici
ue
e-
la-
lu-
marum compellunt. Hic stratum, af-
flictatum, oppressum hominem, ani-
mo tamen erectum, vigentem, vi-
ctoremque suspicite. Exigit suspiria
mæror; ac Julius contra serenitatis ri-
su plenissimo insultat omnino mæro-
ri. Mordaces humorum illapsus irri-
tant ad conquestionem, ac lacrymas:
at contra Julius gratiarum actionem
reponit Deo, & cum dolor interpre-
tem sui linguam sibi maximè vendicat,
tum maximè exultat Julius, luditque
in argumento plusquam humanæ læti-
tiæ. Profitebatur sæpissimè, se Con-
ditori suo debere plurimum eo specia-
tim nomine, quòd sibi captivo inter
manicas, compedesque tortoris morbi
in domicilio carcerem fecerat, ut op-
portunitatem vetera luendi crimina
daret, admittendi nova, subduceret.
Quoties illum aspeximus quantumli-
bet curvatum ærumnarum sarcina
suarum; exilientem animo, & cum af-
fecto corpusculo colluctantem, & suas
planè lacrymas irridentem, si quas nu-
merosa, atque imperiosa vis tot irruen-
tium morborum ab invito quandoque
elicuisset. Erat ei frequenter in prom-
ptu

ptu sapientissimæ illius cogitationis salubritas: libare se stillulam immensæ calicis, quem criminosa primorum hominum fames Christo Domino propinavit. Quoties audivimus aspirationem sitientis adhuc animi post ingentem potum doloris, & post exhausta tormenta ferè tormentū majus estuantis denuò, atque denuò anhelantis heroicæ cupiditatis: ipse interim animus perinde fortunatus erat haustu, atque siti, dum fortunatissimis vicibus & hauriret post sitim, & post haustum sitiret longè plures, longeque majores amaritudines, pretium videlicet venalis cæli. Quoties audivimus piam expostulationem incusantis velut avarum nimis, & præparcum infligendorum tormentorum Deum. Quoties audivimus ingeminatas preces rogantis à Deo simul dolorem, simul patientiam (quod Pio consuetum erat Pontifici Sanctissimo votum), ut suppeteret nempe divinitus & quod vincendum erat, & quo vincendum. Noverat egregiè Julius, per ignaviam nostram in nostrum tandem extabescere dedecus multiplicium palmarum manipulos, nisi

nisi acuat Deus virtutem ipsam, quæ demerit; & neminem consequi, nisi cælum dederit, illud in miseriarum perpeffione beatissimum: velle quòd pateris. Natura quippe mortalium si per se ipsa spectetur, quàm pati in eo nequit quod amat, tam nequit amare quod patitur.

Pergite mecum Auditores; jam enim inviolabilis patientiæ, qua noster adversus mala omnia optimus bellator obduruit, mirandum specimen memorabo. Una ante excessum die, priusquàm extrema illa perniciës frigidum per membra torporem inspergeret, & linguæ demum ipsi lethale silentium indiceret; moribundus Julius conatus in verba est dignissima penitus, quæ posteri memores per consequentes ætates loquamur. Etiam tum frons suo gravis exitio quiddam præfagiebat funestum, pestisque imminens, ac lapsura in subjectum corpus mortem librabat in capite. Eas inter minas ruinæ præcipitis cognatam propè assidentem sic tandem alloquitur moriturus: quando ades huc, mihi opem latura, si quam potes, tuam ad hoc opem efflagito, ut

I

ani.

animis, vocibusque conjunctis quas debeo amantissimo Reparatori grates, hinc ambo pariter referamus. At pro quibus nominatim muneribus grates istas tam sollicitè, tam studiosè meditaris Juli? An quòd divina tibi beneficentia prolem indulsit, ex qua generis aviti splendorem ventura ætas excipiat? An quòd fortunis te locupletavit plurimis, & amplissimis, quo velut fulcimento consistat fundatæ nobilitatis fastigium? An quòd tantam tibi familiæque tuæ ex Pontificia Chisiorum domo dignitatem adjunxit? An quòd amicos tibi conciliavit, magna curarum levamenta, & solatia vitæ? An quòd Optimatum attulit benevolentiam, & gratiam, Principum propinquitates, & affinitates, observantiam, atque obsequia populorum? Nihil horum succurrit: dum Julius à sedibus æternitatis abest unius iter diei, non amplius; hæc omnia, quæ aspernatus & antea fuerat, temporum, ac temporariæ vitæ ludibria, felici prorsus oblivione transmittit. Vellet maximè sibi consentanea aliorum pectora, consonas aliorum voces ad expromendam

Ser-

quas
gra-
At
gra-
me-
ne-
ne-
xci-
avit
eluc
ita-
i fa-
um
dòd
ira-
An
en-
in-
m,
ho-
bus
on
tus
po-
li-
sibi
on-
am

Servatori Deo gratiarum actionem ea
præsertim de causa, quòd paterna illius
benignitas nova sibi morborum in-
commoda, novas languorum molestias
impertiret, fœcundam sanitatis, &
sospitatis æternæ sementem. Hic
novissimus Julii sermo, hic index fe-
rè supremus fuit generosissimi pecto-
ris, & ad Christianæ philosophiæ sa-
porem sapientissimi: mox in ferale
mortis propinquæ silentium contracta
lingua dirigit. O sensus, ò vota, ò
verba. Illum silere mors cogit, qui ta-
lia loqui didicerat: interea loci patent
expedita, diuque patebunt impunè
apud impias gentes (dissimulâte diu cœ-
lesti equanimitate) tot ora nefaria tar-
tari graveolentis spiracula. Sed ea ex-
tremæ necessitat is lex esto: nunquam
enimverò moriturus erat Julius, si piè
dicendi, agendique ratio ab impendenti
morte redimeret. Fuerit illud silētium
decus, quò jactetur in posterū, vitæ prio-
ri, quæ ad regulam sanctitatis exacta fue-
rat, vocem ultimam respondisse. Fuerit
demum quodcumque; profectò qui san-
ctissimis illis verbis, & Christianam pro-
bitatem tam præclarè sonantibus, finem

fecit loquendi pariter, & vivendi, ille filere quidem potuit, at fileri quàm non debet, tam certè non poterit.

Si quod unquam vir adeo fortis, ac patiens adversus morborum afflictationes, è suis divitiis levamen mutuatus est, exile admodùm illud fuit, ac ferè nullum. Cum pedum cruciatus nonnihil mitescens liberioris Cæli usuram permittebat Ægroto, qui diuturnæ quietis malacia, situque usum penè totius vitæ perdiderat; utebatur exigua rheda, motusque tardè procedentis fastidia sapientibus amicorum colloquiis temperabat. Edixit aliquando, daturum se in quæstuosos piorum operum sumptus quidquid equis, & rhedæ, aliisve invaletudinis suæ auxiliis dabat, si parcente nonnihil vi morbi ad alternanda pedum vestigia uni satis bacillo confidere potuisset.

Ne tamen suspicetur quispiam, nos in hac tanti viri commendatione contextenda emendicatis ab una patientia laudibus alere orationem nostram, quasi rerum aliarum inopem, ac jejunam: Profiliant in medium virtutes cæteræ, & dotes animi speciosæ, pietas,

tas, munificentia, generositas, mundi despicientia, cæli amor, ac studium, aliaque Christiani hominis spectabiliora ornamenta. Primum verò omnium solum hoc ipsum, hi parietes, hæc tecta, hæc ædificii moles universi offerunt se oculis nostris, & nostris itidem auribus illud insonare videntur. Nos in sumptuosæ domus decorem erecta marmora nos piam, nos amplam Julii beneficentiam insculptam æternitati servamus: nos liberalis ejus animi nos testes vivacissimi, nos oratores spectantium oculis eloquentes. Ipsa etiam gymnasia vobis Adolescentes sapientiæ studiis excolendi, vobis viri sapientiæ studiis excultissimi istiusmodi recordationem iniiciunt. Videtis Athenæum hoc tam concinnè arcuatum, tam scitè laqueatum, tam pulchrè: Petebatis antea apud nos multiplices doctrinarum thesauros, sed in cryptis ferè obfistis vetustate & semirutis, jam jamque ruituris: nunc autem constanti, fulgentique Pallas habitatione excipit quotidie venientes; sic planè, ut præter eruditæ rerum imagines, quæ spectatorem animum tenent, oculi quo-

198 *Prosa Decmimasexta.*
que theatrum suum inveniant. Julius
noster ad hanc nobis molem à solo ex-
citandam vim ingentem pecuniarum
contulit : cujus largitas tanta jam
altè consignata marmoribus, sed al-
tius adhuc animis nostris inscripta sta-
bit funeribus pretereuntium sæculo-
rum superstes. Etenim qui fieri un-
quam poterit, ut ejus vivamus imme-
mores, cujus charitas quotidie, & pas-
sim occurSAT in atriis, in aulis, in
gymnasiis, in cubiculis? cujus inam-
bulamus muneribus, cujus benevolen-
tiam contrectamus, cujus circumfusa
pietate undique cingimur, & valla-
mur? Nullus esse aditus, nullus obli-
vioni superesse angulus potest, ubi ni-
hil nisi beneficia perspexeris. Julii be-
neficia nunquam alius extenuare po-
tuerit obliviosus contemptor nisi Ju-
lius ipse, qui dedit. Proh virtutum in
unum hominem plurimarum concur-
sus, atque in uno homine concentus
omninò mirabilis! Ut sanè admiratio
perculsa distrahitur, dum admirandis
se debitam rebus multiplicibus videt!

Demissionem cum munificentia
generosam hìc nobis oblatam cōspicio:
Po,

Postea quàm in ædificii sumptus tantam suppeditavit pecuniam Julius, unam, ait, sua munera gratiam repositere, ut sileantur accepta. Magnificè omnino, modestèque: nihil tam bonum pro benefactis retribui humanitus potest, quin longè potior sit illo gratuita probitas beneficientis. Sat honoraria virtuti claritudo est ipsamet, quæ uni Deo patescit, conscientia: spectabilis esse vult virtus non terris, ubi spectanda facit, sed cælo, cui facit. Hæc scilicet omnia evangelicæ conveniunt moderationi, consonant hæc omnia veritati; attamen deceat Julium noluisse prædicari quod contulit, deceat nos non prædicari nolle, quod accepimus. Erat magnificentissimus vir ad hoc precibus expugnandus, ut promeritum latere suum ne sineret: cumque apud alios agendum plerumque sit precibus ante munus, apud Julium post munus agendum precibus fuit; quippe rogari eum non oportebat, ut daret quod deberes, sed ut deberes quod dederat. Demùm quod dando plerique munere amant unum, id ipse unum videbatur odisse;

deberi sibi quod dederit.

Luctus inopum, & querelæ extincti Julium deflentium ipsæ etiam pias Julii largitiones cōcelebrant, & conclamant. Quot hominum mendicabula, esurientia, squalentia, pannosa in tuguriis victitant, una omnium vox est, se piū amisisse parentem, cum Julium amisere. Lugent, quòd pabulum sua fames perdidit, quòd operimentum nuditas, quòd tutamentum exilitas, quòd infirmitas firmamentum. Lugent ii præsertim pauperes, quibus honestas sanguinis opprobrium duplicat nuditatis. Miserrimis hisce mortalium non paulò, durius est pauperes videri, quàm esse. Pudet se fortunæ ludum factos, & in altum sublatos, ut caderent. Vix ille sentit, jacere se, qui nunquam, aut nusquam non jacuit: ille sentit qui ex præcipiti venit, nec nisi post ruinam allisus jacet. Quisquis igitur dejectus è sublimi corruit, piget illum jacere, verumtamen & magis pudet: quapropter surgere idem vellet, idem erigi planè nollet; imò longè sibi conducibilius putat jacere, quam erigi, ne cum ipsi erigendo dexteram porrecturus descen-

Prosa Decimasexta. 201

scenderis jacentem ipsum agnoscas. His adeò miserandis hominibus occultæ pietatis subsidio opportunam Julius, ac præsentem opem ferebat, & maxime festinatam, ipsisque precibus præeuntem, ut non donum modò, sed ipsa donandi festinatio, & furtiva insinuatio donantis, beneficii loco haberetur; atque egeni illi, & pudibundi homines se propemodum accepisse nescirent, cum jam fruerentur accepto.

Illud verò qualem quantumve apponit cumulum & honoris, & laudis. Summæ Divinitatis arbitrio in diversis rerum eventibus suæ Julius voluntatis obsequium semper submitit cum insigni terrarum, & terrestrium omnium despectu. Olim parvulum puerum quasi lactentem spem suam acerbo fato præreptum sibi non modò nil questus est, verùm etiam in communi mero-
re augustissimam illam Abrahami mentem suscepit, grandique voto totam repente domum, spem totam familiæ funeravit. Summe rerum Arbit-
ter (inquit) jam hic, qui superest natus tibi dedititius esto: hujus continuo jugulum petam, dum tu ipse voveris.

Jubes me nunc vita decedere; & me tibi victimam statuo; maesta Omnipotens vite mortisque regnator, si ita placet. Magnam id certè, & rarum, mirumque videri necesse est Auditores: sed nos hinc devocant cætera, & properantem in singulis orationem nostram desiderant; singulis quippe nos immorari diligentius pensitandis; quod rerum magnitudo requireret, pati multitudo non potest.

Cælestium, ac divinatorum Amor petus illud magnanimum tam feliciter occupaverat, ut nullum inibi locum humanorum curæ; nullum cupiditati permitteret. Idcirco solemne illi, ac jucundum præcipuè erat, cælestis Patriæ desiderium iis alere, solarique libellis, qui sacrum aliquid saperent, accæleste. Et verò tam præeminens rerum infimarum contemptus atque amor supernarum quidni Julium subinde redderent aliarum quoque virtutum coronamento spectabilem? Aliqua cursim, summatimque exequamur. Nullius famam ne levissimè quidem perstringi passus est, quoad potuit. Priusquam illum ab hominum consuetudine violentia morbi distraheret, audis-

ses

bi
te
nū
eri
le.
n.
t;
n.
do
st.
e.
er
m
a.
ac
a.
li.
t,
ns
ne
n.
m
r.
l.
r.
f.
i.
f.

ses toties alienæ famæ patrocinantem benignè simul, & strenuè, quoties inter loquendum, uti fermè fit, minus benevoli de absente sermones incidere-
rent. Post ejusmodi patrocinium qui sinistros miscebant sermones amaverunt sæpe quos damnaverant, semper eum, qui defenderat; id enim est ob-
trectatoribus grave, cum quæris quem defendas, ne desit quem redarguas: at Julius cum plurimos sæpe defenderit, neminem visus est redarguere.

Nec tamen ab eo solùm longissimè abfuit, ut alienam unquam invidiam, vel offensionem incurreret: amabilem insuper vel iis omnibus se maximè præ-
stitit, quibuscum ei aliquod discordiæ, litisque momentum verteretur. Videte hîc ingenium, & artem benignitatis eximiæ. Necessè quondam habuit li-
tem quibusdam intendere, ut agitata forensi certamine jura clarescerent æ-
quitatis. Qui indictam sibi litem au-
dierant, id primùm respondent, ne-
quaquam sibi suppetere, unde flam-
mulam succensæ litis enutrient. Quid
ad hæc vir æquitati, atque humanita-
ti addictissimus? Insultat fortasse inso-

lenter elatus, quòd adversarium videat non exarmandum sibi, sed inermem; quòd sibi pugnandum non sit, sed citra pugnam ullam vincendum, ac triumphandum? Hoc quàm potuit certè, tam noluit: Quin etiam egenti adversario pecuniam erogat, eumque armat, & instruit ad certamen, atque ita certamen ipsum virtuti suæ victoriam fecit, vel in eo dignus triumphare quòd certat. Esto interim vincas qui Julio adversaris, eum vincis nimirum, per quem datum tibi est, unde vincas: quòd si vicerit Julius, intelligent omnes, eum, quandoquidem adversarii vires ministrat, non ideo vicisse, quia vinci non potuit, sed quia non debuit. Hæc enim vero Christianæ mentis consilia, hæc cogitata, hæc facta prorsus magnanima, prorsus sanctissima sunt Auditores. Detorqueat ad sese judicia, & Judices ipsos admotis pecuniæ suæ machinis quicūq; procul à recto ad cupiditatum suarum libidinem aguntur transversi; nacta apud Julium justitia est pecuniam obsequentem sibi, cum id potissimum caveat pecunia sua vir justitiæ amantissimus, ut sibi non ve-
na.

nalem, sed adversam, sed refragan-
tem Judicum sententiam faciat, dum
fas, & jura poposcerint. Quosque ha-
bet controversantes in causa, eos opi-
bus suis confirmat, ne vincat ipse, si
vincendum non erit. Proinde ne defi-
ciant (ait) adversarium vires vincendi,
si jus vincendi non deficit; dederit illi
justitia, ut vincere debeat, dabit Ju-
lius ut possit: sic neuter litigantium ab
justitia declinasse feretur, dum & meo
favebunt Adversario justitiæ lances, &
per me illi favebunt.

Tot inter præclara, ipsam, quæ
inter Cives claritas nominatur, nobi-
litem sanguinis, vetustatem stem-
matis, gentilitium prosapiæ lumen,
præteribo ne tacitus? Temperare mihi
vix possim, quin Julii domum com-
memorem avitis titulis gloriosam, Pri-
moribus semper illustrem, Præfulum
infulis venerabilem, & quam denique
Chisium sydus, quod nuper in Vati-
cano cælo adoravimus, fulgorum suo-
rum consortio irradiavit. Tamen file-
re potius me juvat: etenim nescio quo-
modo ambitiosa gestit oratio mea ad
prudentissimam Julii mentem se fin-
ge.

gere; quare ea celebranda minimè cense-
ret quæ, & minima ad Julii calcum
sunt censenda. Fuerint porro isthæc
nihilominus maxima, quæ contem-
nere novit Julius, at aliis (quantacum-
que fuerint) ea debuit: quòd ea novit
contemnere; hoc utique & majus fuit,
& debuit sibi.

Certum erat Auditores in ulterio-
rem adhuc Julii laudationem procur-
rere: verùm quo plùs quem amisimus,
laudo, plus etiam dolendum est, quòd
amisimus: ad orationis incrementum
neccesse est mæstitia oratoris excrescat.
Conticescam igitur; mæstitia jubet,
jubenti mæstitiæ obtemperabo. Sed
quandò ad exitum vergenti mihi oc-
currit iterum sævissimæ mortis imago,
hic ani ni dolentis impetus extremus
esto in extremum illud exitium, &
ruinam. Tantumne decus, tam citò
nobis mors rapidissima rapuisti? Penè
non licuit Julium ante morientem vi-
dere, quàm mortuum. Mens horret
horrendam illam morbi, mortisque
vim, impressionem illam, & fraudem
recordari: cum primùm illapsus est
velut clandestinus visceribus hostis,

en- violentissimus morbus, ne loquentis
um indicio pateret, obstruxit os moritu-
ræc ro. Tam tristi; tam vehementi, tam
m- sævo morbi, ac mortis genere occu-
m- buit Julius, ut vel acerbissimam hanc
vit jacturam acerbiozem faceret nobis ja-
ut, cturæ modus acerbior. Sat abunde una
io- tam cari capitis morte lugendum po-
ur- sterior erat, quid tantæ simul acerbita-
is, tes accessere, quas lugeant? Sic visum
od supremo Numini. Impendamus illi
im voluntatum nostrarum obsequia ò Ci-
at. ves. Magnum Sena damnnum conqueri-
t, tur. Sentio equidem penitus: at ea ma-
ed gnarum est urbium conditio, ut sint
oc- magnis quoque damnis obnoxia, cum
o, enim genuere magna, cum aluere, cum
us provexere, cum perfecere, superest
& tandem, ut perdant. Hæ factorum sunt
tò leges, hæc jura temporum, hoc mortis
iè super omnem mortalitatem imperium.
i- Ipse; quod restat unum, quaecumque
et cæli parte nos aspicias Juli, id æternum
e divorum Regem deposce, ut huic det
n Patriæ cives, non qui perdendi non
st sint (humanis id rebus negatum) sed
a qui non nisi cum detrimento luctuque
perdendi. Interea illud esto nobis de-
tri-

trimenti, luctusque nostri solatium,
quòd peculiaris felicitas copiae fuerit,
cum quis multum habet, magnumque
quod perdat; communis verò mortali-
tatis necessitas, cum multum magnum-
que perdit, quod habuit.

PROSA DECIMASEPTIMA

*Eloquentia puerilis, & ab antiquo
vigore degenerans reprehenditur.*

ORATIO.*



Rudit diem dies, & rena-
scens lunę cornibus men-
sem decessorem successor
mensis impellit. Citatus
annorum orbis sæcula digerit vertigine
sua Princeps eminentissime. En beata
secularis anni temperies ab appropin-
quantis Jani porta faustissimum exeret
caput, & ad sanctitatis Romanæ specta-
culum accersit undique peregrinan-
tium obsequia Nationum. At cum præ-
tervolent vices temporum, nullaque
mo-

* Habita fuit hæc oratio ineunte seculari anno sub
Clem. X. in studiorum instauratione ad Rhetores.